QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. FEBRVARII,
MAGISTRO IOANNE BEAV-CHESNE DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An fœtus per vmbilicum nutriatur

MVLIER homo; omnia & eadem quæ vir membra ſortita, nec diuerſa in vtroque ſexu genitalia. Mulieri optimi temperamenti nota ineſt, perfectione actionis illi peculiaris & conuenientis iudicanda, nulla functionum animalium & vitalium integritate culpanda, naturalium meliore parte ſuperior; Ortus, incrementi, & fauſti in lucem ingreſſus, potiorem cauſam nuper editus infans, genuino calore, halituoſo, blando, miti turgens, matri in acceptum refert: lucis vſurâ fruenti dulciſſimum & maximè nutriens lac, omni alibili ſucco, & omni animantium lacti in Phthiſi præferendum, ſuggeritur.

VTERVS, ſummo in mutationem vniuerſi dominatu, fauſto & infauſto præpollens, totum ſibi ſimile corpus reddit, & numeroſâ venarum & arteriarum ſobole circumſeptus, omni corporis principatui coniunctus, iucunda & fragrantia ambit, fœtida auerſatur; teſtium vigore ſeminis fœcundi copiam aceruat, quâ ſtimulatus, in concupiſcentiam & amorem gignendi ſe erigit, genitura virili expleri cupiens: fitque complexus deſiderium eò maius, quò locelli copioſiùs ſemine abundant: cuius ſuppreſſione, ſtrangulatus. Iecur humoris benigni fons & conſors concupiſcentiæ, ſubſidio; minus tamen bonum affectat; nihil enim excellentiùs generatione & completâ conformatione animalis, diuino vteri opere.

FOETVS generandi & conformandi prima in vtero prodeunt rudimenta; ingenitâ proprietate ſpiritui opifici à cæteris ſpecie diſtincto ſuppetias ferente, vtrique obeundo operi duo idonea concurrunt principia, ſemen & ſanguis menſtruus; ſemen ex ſolis teſtibus & vicinis partibus deciduum, terrenâ ſubſtantiâ paucâ, calidâ, ſpirituoſâ, aëreâ, humidâ plurimâ conſtans, dum inchoandæ incumbit functioni, naturæ officium & omnes eius dotes in ſe complectitur, tantùm alimenti ſanguinei quantùm competit, vi attractrice accumulans. Sanguis partium carnoſarum tertiæ coctionis excrementum, per vteri venas ſyncerus & defœcatus illabitur ad ortum & nutricatum: cuius exuperantis excretio, ad definitos naturæ motus eſt referenda.

GENITVRA vtraque excepta vtero, principij efficientis vim præſtantiorem continens, menſtruo facultatis minimùm, materiæ plurimùm conferente, nutrita & aucta, prima erigit fundamenta; ſed ſemini albo, lento & craſſo ſucco, veriùs quàm ſanguini in primo ortu ſolidiores particulæ, membranæ, & vaſa, ad ſanguinis commeatum neceſſaria, ſuam debent generationem: appulſu ſanguinis trium principiorum, carnoſarum partium, & fabricæ totius complementum conſpicuum: omnibus abſolutam numeris conformationem produnt motus & palpitatio, iuxta Naturæ & neceſſitatis leges, hepate cordis & cerebri ex ſolo ſemine conflati, ortum præcedente.

MVLTIPLEX facultatum, actionum, & operum varietas, ex ſubſtantia genitali ſimplici emergit; quot ſunt ſimilares, & ſpermaticæ particulæ, tot alteratrices potentiæ, compages & forma arcanam diuinæ originis virtutem agnoſcit; vtraque vi in vnum conſpirante, pro ſolita naturæ ſagacitate, ex ſeminis craſſiore & frigidiore portione amnios, & chorion effinguntur; quod reliquum, pro cuiuſque partis conditione in eius ſubſtantiam faceſſit. Vena & arteriæ vmbilicales vtrumque ſanguinem fœtui alendo & viuificando deferunt: vrachus à veſicæ fundo ad vmbilicum protenditur, chyloſis, hæmatoſis, reſpiratio neceſſitatis nullius: nec ſupereſt vaſorum genus vllum quod communionem inter fœtum & vterum oſtendat.

Ergo fœtus per vmbilicum nutritur.

Aſſerebat Lutetiæ BARTOLOMEVS BARRALIS Valerno-Gapenſis, Anno R. S. M. DC. XV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Harduinus de S. Iacques.
M. Michael de la Vigne.
M. Ioannes Tournier
M. Iacobus Perreau.
M. Guillelmus Gerbault.
M. Franciſcus l'Eſpicier
M. Georgius Cornuty.
M. Claudius Boiuin.
M. Philippus Harduin. de S. Iacques.